

147

praeposuit. Plerumque tamen Praefecti legionum dicebantur: talem olim fuisse Didium Julianum suspicari facit Capitolinus in ejus vita. *Post Praeturam, legioni praefuit in Germaniâ vigesima secunda Primigenia*. De eorum munere, & auctoritate fufe differit Vegetius integro Cap. IX. lib. II. de Re Milit. Interim alius mihi vigesima secunda legionis Praefectus producendus est ex veteri Inscriptione, quam Firmi in Piceno vidi exscriptique.

L . CIRPĪNIO . T . F . VEL
 PRI . PĪL . ITER . PRAEF
 LEG . XXII . ŪVIR ITERVM
 QVINQ
 MVNICIPES .

Macerata olim lapidem hunc exstitisse, locuples testis est Pompejus Compagnonius Maceratenfis Patricius, Pompeii Compagnonii Viri doctissimi atque amicissimi avus in Regg. Picen. p. 39. ubi illam edidit, verum non ita accurate ut supervacaneum fuerit iterum describere.

LEG. ŪV FLAV. Legionem ŪV Flavo nomine insignitam vidimus n. XXXVI.

PRAEPOSITO VMBR. PICEN. ET APVL. Juridici, Correctores, Consulares Umbriz & Piceni saepenumero occurrunt, Praepositi nusquam, quod sciam. Proinde existimare rite possemus, Praepositi appellationem in Inscriptione nostrâ haudquam nomen esse dignitatis, aut muneris proprium, verum illâ, pro communi sermonis usu, cum significari, qui Provincias, Umbriam, Picenum, & Apuliam regeret. Profecto in hunc sensum a Cicerone Navarchi dicuntur lib. V. in Verr. c. 38. *Navibus praepositi*. Q. Ligarius C. Confidii Legatus, ab eodem Confidio in Africâ cum Imperio relictus, Orat. pro Lig. Cap. 2. *Africae praepositus*; Galliae fortasse Proprator ab Hirtio Cos. missus lib. XIV. ad Attic. Ep. 9. *Galliae praepositus*. Quod si parum id probaretur, ad extraordinaria Imperia confugiendum erit. Extraordinaria Imperia pro re nata per Italiam data fuisse animadvertit doctissimus Scipio Mas-

T 2

fejus